

9. *Galenò* adhuc puero existente, apud *Thraces Bithyniam* incolentes casu planta fuit inventa, quæ jecur destrueret, venas aperiret, sanguinem & ipsam vitam effunderet. Homo quidam in suburbanum quum aliquando suillu jecur deferret, urgente ventre super herbâ quadâ jecur deposuit, quod aliquantô post, quum sustulisset, vidit ex universo jecinore sanguineos rivulos ad herbam confluere. Ex hoc conjecturâ factâ corpori eâ plantâ sanguinem detrahi posse; periculû fecit in obviam facto & deinde ad malos usûs herbam transtulit; ductus autem tandem fuit vinc̄tis oculis ad supplicium; ne cuius plantam forsan obviam indicare posset.

VI. **MAGNITUDO** ejus tanta est, ut nonnunquam ad umbilicum usque, & ad lienem à sinistris se extendat. *Sal-muth. in observat. cent. 1.* hepar in foeminâ Lipsiensi vidit tam magnum, ut non tantum hypochondrium dextrum occuparet, sed & omnem ventriculi regionem, sicque ipsum ferè totum hypochondrium sinistrum, liene è contra vix pollicem majorem æquante. Tum hepar, tum lienem immensæ quoque magnitudinis notavit *Hildanus, cent. 2. obs. 45.* Homini secundum proportionem omnium animalium maximum conceditur. *Spi-gelius* eum cum ætate, magnitudine variare observavit, & in pueris maximum, ratione proportionis, in adultis minimum, minus in senibus esse docet. Majus est in frigidioribus temperaturis, timidis, & gulosis, notante *Bartholinô*. Imprimis tamen gulosi hepatis magnitudine pollent. Docuit enim experientia, ait *Argentarius in comment: in Galeni artem p. 609.* illos maximè esse edaces, quibus magnum est hepar. *Cornelius Gemma 1. cosmocrit. c. 6.* hujus rei adducit exemplum de muliere grandævâ, quæ ne momentum quidem sine singulari molestia & anxietudine à cibi potusque ingestione feriari poterat; habuit autem aperta post obitum hepar mole insigni.

VII. **FIGURAM** habet superius convexam, infra concavam, seu simam amicè ventriculo tumentis cedentem. Ad dextram hepar est amplæ rotunditatis, ad sinistram angustæ, & acutæ, suis quibus accumbit organis, ut ait *Vesalius*, respondens,